



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 36. De Prouidentia Dei in Ecclesiae sanctae fundatione, cum omnibus  
medijs ad nostram salutem necessarijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

## MEDITATIO XXXVI.

DE PROVIDENTIA DEI  
circa suæ Ecclesiæ foundationem,  
cum omnibus necessarijs medijs ad  
nostram salutem; & quàm  
excelsa sint hæc be-  
neficia.



HÆC Meditatio habebit pro  
argumento sententiam il-  
lam Sapientis: SAPIENTIA *Prou. 9.1.*  
*ædificauit sibi domum, exci-*  
*dit columnas septem. Immo-*  
*lauit victimas suas; miscuit*  
*vinum & proposuit mensam*

*suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem,*  
*& ad mœnia ciuitatis: & eius nomine illis*  
*dicerent, venite comedite panem meum, & bi-*  
*bite vinum quod miscui vobis.*

## PUNCTVM I.

CONSIDERANDVM est primò, quod  
DEVS Dominus noster, infinita sua sa-  
piëntia, ædificauerit sibi in medio huius  
mundi, quandã a domum, Ecclesiã scil. sanctam *ar. Tim. 3.15*  
eamq; admirabili prouidentia omnib<sup>9</sup> medijs  
instruxerit ad salutem eorum; qui in illa viue-  
rēt, necessarijs; vt videlicet à duplici maxima  
miseria,

miseria, quæ esse potest in hac & in futura vita liberarentur, peccato nimirum & inferno, & duplicem his miserijs contrariam felicitatem consequerentur, gratiam nimirum & gloriam.

I. Huius prouidentia magnitudo æstimari primùm potest ex magnitudine finis, in quem domus hæc & Ecclesia dirigitur; qui finis, est gloria ipsiusmet Dei, & IESV Christi Redemptoris nostri, vt haberet domum recreationis in terra & specialem habitationē, in qua habitans, conuersaretur cum filijs hominum; & vt homines saluari, & æternam vitam consequi possent: cùm autem finis ipse omnium sit altissimus, qui esse possit; & media erunt altissima, & prouidentia ipsa Dei, in illis ad talem finem disponendis erit excelsissima. Si enim ad eodē est magna & admiranda prouidentia, quā habet de homine, quoad eius corporis naturalia, & temporalem vitā; quantò maior censenda erit & admirabilior, quam de eodē generet quoad supernaturalia animæ eius, & æternæ vitæ? & qui de tot medijs illi prospexit ad vitam corporis, quæ hodie est, & cras finitur, conseruandam; quantò magis prospiciet de medijs aptissimis, ad comparandam & conseruandam vitam spiritualem animæ, quæ nunquam est peritura. ita proculdubio hæc prouidentia alteram excedet, sicut spiritus excedit carnem, & quod æternū est superat periturum; & vt Apost. ait, *b Nunquid de bobus cura est Deo, vt Scriptura dicat, non alligabis os boui*

br. Cor. 9. 9.

trit.

*trituranti*; significans, quod etsi Deo verè sit  
 cura boum, ea tamen ad homines dirigitur,  
 quorum tantam curam gerit, vt quam de alijs  
 habet, censeatur quasi non esse. ita ergo om-  
 nis cura, quam DEVS gerit de corpore &  
 vita temporali, ac de medijs, quæ nobis sua  
 prouidentia ad eam conseruandam prospe-  
 xit, tota dirigitur ad animam & ad vitam  
 æternam: cuius prouidentia comparatione  
 altera illa est valde exigua censenda: & pro-  
 pterea Sapiens dixit, loquens de diuina sa-  
 pientia, quòd suis electis *c in omni prouiden-*  
*tia occurrat*, in qua tota eius perfectio con-  
 tinetur. Quamobrem maximas Deo gratias  
 agam, agnoscens meam indignitatem, & hu-  
 ius beneficij magnitudinem, dicensque illi  
 quod Tobias Angelo, *d si me ipsum tradam ti-*  
*bi in seruum, non ero condignus prouidentia tue.*  
 O Pater amantissime, verè non ero condig-  
 nus prouidentia tua, etiam si me tibi tradam  
 in seruum, id tamen nunc facio, siquidem tu  
 prouidentia tua me gubernas tanquam fi-  
 lium.

c Sapi. 6.17.

d Tobia 9.3.

## PUNCTVM II.

**D**EINDE sunt consideranda media ad  
 miranda, quæ prouidentia diuina in  
 sua Ecclesia posuit, vt salutem nostram  
 consequi possimus: quæ reducemus ad septem,  
 tanquam ad septem fortissimas & pulcherri-  
 mas huius domus columnas.

VI. Part. Med.

ff

PRI-

- I. **PRIMUM** medium, siue prima columna est vera **FIDES**, & cognitio veri Dei, & Mediatoris, ac Redemptoris, quem dedit nobis, qui est eius filius, **IESVS** Christus; iuxta illud S. Ioannis: *a Ioan. 17. 3. Hac est vita æterna; vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum.* hæc enim cognitio principium est & fundamentum æternæ vitæ. nam *b Hebr. 11. 6 sine fide (vt ait Apostolus) impossibile est placere Deo: c Act. 4. 12. nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*
- II. **SECUNDUM** medium est, **LEX** purissima & sanctissima, in qua sunt omnia mandata rerum necessariorum ad vitam æternam comparandam; & omnia consilia, quæ iuuare nos possunt ad eam securè ac perfectè consequendam.
- III. **TERTIUM** est **RELIGIO** obseruantissima cum sacrificijs & cæremonijs externis, ad veri Dei honorem & cultum directis. Et quæuis Ecclesia veteris legis templum haberet, & sacrificia plurima, nunc Ecclesia plurima habet tēpla, sed vnicum tantum sacrificiū, quod plus infinitè valet omnib⁹ illis, in quo ipsiusmet Redemptoris corpus & sanguis offertur.
- IV. **QUARTUM** medium sunt septem excellentissima **SACRAMENTA**, in remedium & medicinam nostrorum peccatorum directis; inter quæ vnum est Mensa optimi panis & vini, quod potuerit nobis Deus proponere ad nostrum nutrimentum; & omnia septem sunt tanquam septem columnæ externæ, quibus

cocius

rocius huius domus machina firmiter innititur.

QVINTVM sunt septem veræ ac solidæ VIRTUTES, *Fides* videlicet, *Spes*, & *Charitas*, *Prudentia*, *Iustitia*, *Fortitudo*, & *Temperantia*, & septem dona Spiritus sancti, quæ sunt instar septem columnarum internarum, quibus innititur sanctitas & spiritualis pulchritudo huius ædificij, cum admirabili ornamento operum studiosorum erga Deum, & proximos, & nos ipsos.

V.

SEXTVM medium sunt certissimæ & excellentes PROMISSIONES æternæ vitæ, & præstantissimorum præmiorum, quæ in hac & in futura vita redduntur ijs, qui in virtutum opera incumbentes, habitat in hac domo; & simul horrendæ MINAE Inferni & atrocissimorum suppliciorum, quæ in hac & in futura vita ijs infliguntur, qui extra hanc domum habitant, aut in ea non ita viuunt, vt oportet.

VI.

SEPTIMVM medium est SCRIPTVRA Diuina, in qua sunt reuelata quæ hacten<sup>o</sup> diximus; & quæ est instar mensæ alicuius deliciosissimæ panis & vini, ad nutrimentum animarum, quæ fide & veritatibus, in ea per Dei reuelationem scriptis, sustentantur, consolationem accipiunt & respirant, donec obtineant vitam æternam, quæ in illis continetur; iuxta illud Apostoli. *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeant.*

VII.

d Rom. 15.4

PERPENDENS itaque septem hæc media, quæ diuina prouidentia ad nostram salutem in Ecclesia sua disposuit, & meipsum intra eandem conspiciens, tanquam eius habitatorem, qui omnibus illis frui possum ad salutem meam consequendam, dabo gloriam huic Domino, pro beneficio a deo præstanti, quod mihi contulit, dicens: septies millies, Domine, te laudent Angeli cœli, pro septem his medijs, quæ in meam salutem direxisti: & siquidem gratia tua fecisti me huius domus habitatorem; concede etiam eius bonis ita uti in hac vita, ut incola fiam domus, quam habes præparatam in Cœlo, Amen.

## PUNCTVM III.

I. **T**ERTIO est considerandum, hanc Ecclesiam & domum Dei non esse nisi unicum in hoc mundo; in qua ut possunt saluari omnes, qui eius medijs utuntur; ita qui sunt extra eam, infallibiliter peribunt. nam ut tempore diluuij à vnica tantum fuit Arca, in qua b *quicumque fuerunt, saluati sunt*; & qui cunq̃ue extra eam remanserunt, perierunt; sic nunc non est nisi vnica Ecclesia, in qua est c *vnica fides*, vnica religio, vna lex, eadem Sacramenta & Sacrificia, vna Scriptura sacra, & eadem media nostræ salutis; sicut non est nisi vnus Deus, vnus Creator & Sanctificator, vnus Mediator, & vnus vltimus finis omnium. & cum sit vnum tantum caput, non potest sub eo esse nisi vnicum corpus mysticum; congregatio

vide.

a Gen. 6 14.

b Gen. 7. 23.

1. Petr. 3 20.

c Ephej. 4. 5.

videlicet fidelium, credentium & profren-  
tium septem illa quæ prædiximus, omnes ve-  
rò reliqui vniuersim in quacunque secta &  
lege sint peribunt in æternum.

DEINDE sicut Arca Noë non habebat nisi d  
vnum ostium; ita ad ingrediendum in domum d  
huius Ecclesiæ, vnicum est ostium CHRISTVS  
Dominus noster, & eius fides, quam in Bapti-  
smo profitemur; iuxta illud eiusdem CHRIS-  
TI Domini: *Ego sum ostium, per me si quis* e Ioan. 10. 9.  
*introierit, saluabitur: & illud, qui credide-* f Marc. ult.  
*rit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui vero non* 10.  
*crediderit, condemnabitur.* Ex hac ergo confi-  
deratione, magis intelligam huius beneficij  
magnitudinem, quod mihi Deus contulit,  
dum in hanc Arcam me introduxit; relictis  
interim innumeris infidelibus, qui pereunt  
in diluuiio Infidelitatis; imò & inter ipsos  
Christianos pereunt multi infantes, non ob-  
tento hoc beneficio, siue quòd moriantur in  
utero, siue quòd nati etiam moriantur ante-  
quam baptizentur; qui tamen non erant mi-  
nus innocentes quàm ego; nec ego magis hoc  
beneficium promeritus eram, quàm ipsi. vo-  
luit tamen diuina prouidentia me illa pericu-  
la euadere, & hoc beneficium baptismi susci-  
pere, nescientem quid susciperem; & facere  
me ex mera gratia filium suum, *g* *antequam* g *Isaia. 8. 4.*  
*ego scirem vocare eum Patrem.* O Pater aman-  
tissime, quas tibi gratias reddam pro adeo  
præstanti beneficio. ante enim quam ego h h *Isai. 7. 15.*  
*scirem reprobare malum & eligere bonum, ab*



i Isaiæ 8. 4.

stulisti à me culpam, & tua gratia me iustificasti, vt scirem reprobare malum, & eligere bonum. adhuc loqui non sciebam, quando tua omnipotentia i *abstulit fortitudinem Dæmasci*, hoc est Dæmonis, expellens eum à possessione quam acceperat à die conceptionis meæ. Conserua me Domine in Ecclesia tua militanti, ita pugnanti, vt perueniam ad triumphantiem, in qua te fruam ia æternum, Amen.

*MEDITATIO XXXVII.*  
DE VOCATIONE QVA  
VOCAT DEVS ad Ecclesiam & ad  
Iustificationis gra-  
tiam.



IRCA altissimum hoc VOCATIONIS beneficium, sex sunt perpendenda; in quo scilicet ea consistat; qua bona è Cælo adferat; per qua media dirigatur: ad quos se extendat; quamdiu duret; & quibus nominibus ad eam audiendam astringamur.

## PUNCTVM I.

PRIMUM ergo considerandum est, quod VOCATIO sit inspiratio quædam & illustratio Spiritus sancti, qua ille cor pecca-

Trid. Sess.  
6. c. 5.

toris